



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quód anima multis gentibus nobilior sit deflenda, & multis vrbibus  
preciosior, quodquam non sit desperandum de venia. xliiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia, ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per poenitentiam reconciliationem meruerunt diuinæ pietatis. Hi nec immerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem poenitentiam, recepisse noscuntur vitæ remedium. Id enim ne forte magis ambiguum sit, diuinæ autoritatis sententia confirmetur. Ezechiel enim propheta, sub typo prauaricatricis Hierusalem ostendit, post poenitentiam satisfactionem, pristinum restaurari posse honorem: Confundere, inquit, o Iuda, & porta ignominiam tuam. Et post paululum: Et tu, inquit, & filia tua, reuertimini ab iniquitate vestra. Quod dixit, confundere, ostendit post confusionis, id est, peccati opus debere quenquam erubescere, & pro admissis sceleribus verendam frontem humi prostratam demergere, pro eo quod dignum confusionis perpetraverat opus. Deinde precepit, ut portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate quod peccauerat. Sicque reuocari secudum prophetam, ad priorem statum poterit.

*Quod anima, multis gentibus nobilior, sit deflenda, & multis urbibus preciosior, quodque non sit desperandum de venia. Cap. XLIIII.*

VIS DABIT capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Opportunius multo nunc à me, quam tunc à propheta Dei dicitur. Licet enim non vrbes multæ, nec gens integra lamentanda sit, anima tamen flenda est multis gentibus nobilior, multisque urbibus preciosior. Nam si vnus qui fecerit voluntatem Dei, melior est, quam multitudo iniquorum: melior ergo, & tu eras quondam, quam multitudines Iudæorum. Propter quod nemo miretur, si forte prolixioribus ego nunc utar lamentationibus, & amariore profundâ fletus, quam tunc propheta profudit. Non enim vrbis, ut dixi, captæ excidia defleo, nec vilis vulgi captiuitatē lametor, sed insignis animæ lapsus, & templi in quo Christus habitat excidium. Hæc enim lamentatio insignis animæ quam ego defleo, tãtò illa est durior & amarior, quãtò & verior. Inde vtiq; est, quod ego irremediabiliter plango, quia noui: & incessabiliter lugeo, dum recordor. Usquequo iterum te tripudiare videam, ad prioris gloriæ statum? Quod etiam apud homines im-

*Excerptum  
de libro  
Ioannis  
Constantinopol.  
ad  
Theodorum,  
cap. 19.*



possibile, videtur: apud Deum tamē omnia possibilis sunt.  
 Ipse est enim qui alleuat de terra inopē, & de stercore erigit  
 pauperē, vt collocet eum cum principibus populi sui.  
 Ipse est qui sterilem facit matrem super filios latantem.  
 Nō ergo dubites, neque desperes mutari te posse in meli.  
 Si enim tantum potuit diabolus, vt à celsis virtutum fastigiis,  
 in profundum te duceret malorum: quanto magis poterit  
 Deus ad bonorum verticem reuocare, & non solum  
 in id te restituere quod fuisti, sed beatiorem multo quam  
 prius videbaris, efficere. Tantum est ne concidas animo,  
 neque spem abscindas bonorum. Ne quæso, ne accidas tibi  
 quod impiis solet. Nō enim peccatorum multitudo in desperationem  
 adducit animam, sed impietas. Impiorum ergo  
 est desperare salutem, non peccatorū. Vnde diuina misericordia  
 pollicetur, dicens: Gaudium erit in celo coram  
 angelis Dei super vno peccatore. Et post pauca: Stantibus  
 si ceciderint, minatur pœnam: lapsis, vt surgere appetant,  
 promittit misericordiam. Illos terret, ne præsumant in bonis:  
 illos refouet, ne desperent in malis. Iustus es, irā pete  
 time, ne corruas. Peccator es, præsume de misericordia  
 vt surgas. Et sicut lapsus grauissim<sup>9</sup> ceruicibus animæ incumbēs,  
 semper eam deorsum in terram cogit aspiciere, ad  
 Deum verò sursum non finit oculos leuare: sic virilis animæ  
 suum pondus, vt ait Propheta: Sicut oculi ancillæ in  
 manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum Deum  
 nostrum, donec misereatur nostri. Etenim mulier illa, quæ  
 in Euangeliiis dragmam quam perdidit, inuenit, conuocauit  
 amicas, & vicinas, vt cungratulentur ei. Et ego conuocabo  
 amicos tuos, meosq; & vicinos nostros, deprecabor eos  
 conuenire, vt non gaudeant, sed vt lugeant mecum, nec  
 vt gratulentur, sed vt lamententur, & ingentem plactum  
 subleuatis ad cælum vna mecum vocibus reddant, dicentes  
 ad eos: Ululate mecum amici, plangite, & profundite sicut  
 res fieruum: non quia auri pondus immensum, nec aurum  
 auri perdidit, sed quia horum omnium charior, & omnium  
 auro gemmarum, omniq; nobilitate preciosior amicus, nescio  
 quomodo lapsus, vsq; in ipsum fertur perditionis profundum.  
 Noli desperare de lapsu, ne cadas. Qui enim in malum  
 desperat, habet veniā. Qui verò desperauit se in seipsum,  
 nullam: quia ille nō est dominus metis alterius. Sicut ergo



& anima, si semel salutē suam cœperit desperare, iam nec intelligit quomodo, vel in quā mala præcipitetur: ita & qui desperatione capti sunt, intolerabiles fiunt, & per omnes malitia vias discurrūt. Exurge, exurge quæso, expergiscere aliquādo: & diabolicam hanc depone temulentiā. Parce cunctis, qui pro tua desperatione desperant, ne putent se viam virtutis incedere, si te ad eam redisse non videant. Respice quæso te, quantus nunc mœror omnium sanctorum fratrum habeat chorū, & quanta lætitia atq; exultatio incredulis fiat, quantaq; eis ad præcipitia luxuriæ decreseat autoritas. Nec erit post hæc aliquis, qui quolibet lapsu deiectus, non statim resurgere cupiat, & statim se reparare festinet.

Quod nullus a consolatione vulnerati fratris se subtrahere debeat. *Cap. XLV.*

**V**BI est misericordia Christianæ religionis, quam magister noster sacrificio docuit esse meliorem? Ecce iam frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitans, & vos quasi sine vulnere reuertimini, nec consolationem plagæ illius deferre tentatis? Nolite esse sine formidine, fortiores percussit inimicus, ut facilius ei aditus esset ad reliquos. Ut quid ergo spernitis vulneratū, aut si eum putatis & mortuum? Melior concubina Saul filia Resafa, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vitione percusserat, eo usque accincta sacco, hoc est, cilio custodiuit, donec eis roraret aqua de caelo, id est, donec pro venia eorum misericordiam cœlestis scintilla defluerat. Melior fuit ille Iudas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam: quosdam de lamnia ciuitate idolorum dona prostrauerat. Ut quid rogo medicus noer inter librorum suorum loculos tot constituet genera pigmentorum? Si nihil est ex emplastris eius, quo sanari possit vulnus quod percussit inimicus: & si placet, aperiāmus scholam medicinæ nostræ, & a principio canonis vulnerum, ac medicaminum species perquiramus. Ecce in ipsius introitu scholæ occurrunt illi seminis carnalis authores, qui venenato serpentis dente percussi, non statim poenæ mortis addicti sunt, sed eiectione paradysi deliciis, id est, de Ecclesiæ libertate, & sacri communione ministerii.